



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Liutprandi Ticinensis Diaconi Opusculum, De Vitis  
Romanorum Pontificum**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Moguntiae, 1602**

XIX. S. Caivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

\* epist. 2.

2. q. 6. c. nō ita.

\* qui accusari  
\* suspectam  
\* custodiat  
\* potiat  
\* nouerit licentiam

Hic idem Pontifex in alia epistola, <sup>b</sup> quam destinauit vniuersis Episcopis per Siciliam constitutis ordinem accusationis exponit, quem ipse cum omnibus Episcopis, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ vtriusque ordinis fidelibus constituit, ac discreuit, ita dicens. *Non ita in Ecclesiasticis agendum negotiis, sicut in secularibus, quia in secularibus, postquam legibus vocatus quis venerit, & in foro decertare cæperit, non licet ei ante peractam causam recedere. In Ecclesiasticis verò dicta causa, recedere licet, si necesse fuerit, aut si se prægrauari viderit. Accusationis autem ordinem talem dicimus, & seruari iubemus. Id est, si quis clericorum in crimine impetitur, non statim reus existimetur, \* quia causari potuit, ne \* subiectam innocentiam faciamus. Sed quisquis ille est, qui crimen intendit, in iudicium veniat, nomen rei indicet, vincula inscriptionis arripiat, \* custodia similitudinem habita tamen dignitatis existimatione \* patiat, ne forte \* mouerit licentia mentiendi, cum calumniantes ad vindictā poscat similitudo supplicii.* Hæreticos & suspectos, & excommunicatos, homicidas quoque & maleficos, fures, sacrilegos, raptōres, venificos, adulteros, & qui raptum fecerint, vel falsum testimonium dixerint, & omnes, qui Christianæ religionis & nominis dignitatem, & suæ legis vel propositi normam, aut regulariter prohibita neglexerint, à licentia tam accusandi, quàm testificandi omninò remouit. Similiter prohibuit, vt nullæ causæ à iudicibus Ecclesiasticis audiantur, quæ legibus non continentur, vel quæ prohibita esse noscuntur, quia non solum Ecclesiasticæ, sed etiam sæculi leges hæc obseruare præcipiunt. Item affirmat, quibus regnum DEI excluditur, procul dubio & Ecclesia denegatur.

## XIX.

A. CCLXXXIII

S. CAIVS.

2. q. 7. c. pagani.

CAIVS, natione Dalmaticus, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Gaio, sedit annos II. menses 4. dies 12. Fuit autem temporibus Diocletiani, cuius persecutionem fugiens annis nouem habitauit in cryptis, qui tandem Martyr meruit effici 10. Kalend. Maii. Hic in epistola, quam Felici Episcopo scripsit, quod Apostolicæ sedis auctoritas iuxta catholicam disciplinam tempore suo tenebat, de multis eum instruere exoratus, curauit, ita dicens. *Primum quidem scias paganos & hæreticos non posse Christianos accusare, aut vocem infamationis inferre, deinde nemo unquam Episcopum ad iudices seculares, aut reliquos clericos accusare præsumat; & si quis Episco-*

*Episcopus, presbyter aut diaconus, vel quilibet clericus apud Episcopos, (quia alibi non oportet à qualibet persona, qua rite recipienda est) fuerint accusati, quicumque fuerit, siue ille sublimis vir honoris, siue alterius dignitatis, qui hoc genus inlaudabilis intētionis arripuerit, \* nouerit docenda p̄bationis mō-<sup>\* nouerit</sup> strāda documētis se debere inferre. Si quis ergo circa huiusmodi personas, non menta se. p̄bāda detulerit, auctōritate huius sanctionis intelligat se iacturā infamiae sustinere. Qualiter autem ad Concilium veniatur, & cætera, & 3. q. 1. c. Ep̄s-<sup>prob. docu-</sup> de induciis añiuersariis, dicit se ideò in eadem epistola non pone-<sup>scopis.</sup> re, quia sufficienter de huiusmodi ab Apostolis & eorum successoribus, & à suis antecessoribus tractatum esse existimat. De ordinibus verò Ecclesiasticis in eadem epistola scripsit, & omnibus seruari demandauit, vt si quis Episcopus esse meretur, primò sit ostiarius, deinde lector, postea exorcista, inde sacretur acolythus, deinde subdiaconus, deinde diaconus, & postea presbyter. Exinde, si meretur, Episcopus ordinetur, & regiones in magnis ciuitatib. inter diaconos diuidi præcepit, & omnes difficiles quæstiones, quæ exortæ fuerint, semper ad Apostolicam sedem referri præcepit.*

## XXX.

## S. MARCELLINVS.

A. CCXCVI.

**M**ARCELLINVS, natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annos 9. menses 4. dies 25. Fuit autem temporibus Diocletiani & Maximiani. Quo tempore tanta fuit persecutio Christianorum, vt infra 30. dies, 17. millia hominum promiscui sexus per diuersas prouincias martyrio coronarentur. Tunc & ipse Marcellinus compulsus dæmonibus sacrificauit. Sed post paucos dies Synodo congregata in ciuitate Campaniæ coram centum & octoginta Episcopis digne pœnituit. Vnde Diocletianus iratus, quia ad sacrificandum eum cogere non valuit, cum aliis tribus capite truncari iussit 6. Kalend. Maii, & post 30. dies sepultus est à Marcello presbytero. Et cessauit Episcopatus eius annos 7. menses sex, dies 25. propter nimiam persecutionem Christianorum. Hic ordinauit Episcopos 5. presbyteros 4. diaconos 2. Hic in epistola, quam Salomoni Episcopo misit, multis rationibus probauit, & <sup>a ep̄st. t.</sup> multorum irrefragabili auctōritate firmavit, patrem non esse maiorem filio, nisi secundum naturam humanitatis. Et hoc fecit propter quosdam hereticos, qui eo tempore exorti econtrariò nitentur probare.